

viii

tionis ac variarum linguarum Codicibus, virorum literatorum conatibus opitulaturus, illam exornare studuit. Insigni igitur Græcorum Voluminum numero, quæ olim domesticæ Pii II. Romani Pontificis Bibliothecæ erant addicta, & beneficio Constantiæ Piccolomineæ ab Aragonia in Clericorum Regularium, quos Teatinos vocant, potestatem pervenerant, auxit. Ratus autem absolutissimum delectum manuscriptorum Librorum Nationum Orientalium magno adjumento fore ad res Ecclesiasticas juvandas, & ad Sacrosanctæ Catholicæ Fidei dogmata confirmanda, qua via & cura potuit, præstantissimos comparavit. Semel enim, & iterum, ac tertio, in Syriam, Ægyptum, Mesopotamiam, & Græciam, viros idoneos, ac gentium callentes linguas misit, ut quos multorum testimonio acceperat ibidem servari vetustissimos selectissimosque Codices, conquirerent, pretioque, auctoritate, & officiis adepti,